



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

Tempore Æstivali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)



Die XXVIII, Maij.

ADVENTUS RELIQUIARUM
S. LIBORII EP. CONFESS.

Duplex.

Omnia de communi Confessoris Pontificis præter propria in Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis Beatum Liborium ministrum tribuisti, præsta quæsumus: ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum.

Lectioes I. Nocturni, de Scriptura.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Legati Baduradi Episcopi Ceno-
mano ad Ecclesiam suam rever-
suri; ingressi Saxoniam, præ nimiâ
sibi turbâ obviante, vix gradum mo-
vere poterant: totis tamen nisibus
iter accelerantes tandem die tertio,
quinto Kalendarum Juniarum, quâ

P. Æstival.

I

tunc

tunc sacrâ Pentecostes solemnitas agebatur, ad desideratam diu Paderbornensem Ecclesiam pervenerunt. A quâ cum adhuc tribus miliaribus distarent, ob immensam multitudinem, quæ sequi non poterat, in medio campo Missarum celebraverunt solemnia. Verum antequam ea finirentur in eodem loco quinque pariter homines à variis debilitatibus liberati causam immensæ admirationis & lætitiæ, tantam Dei virtutem videnti populo, præbuerunt. Insuper eâdem horâ in ipsâ Ecclesiâ Paderbornensi puer quidam, de eâdem Parochiâ oriundus, qui à die nativitatis suæ surdus erat & mutus, ibidem auditum pariter percipere meruit & loquelam. Agebat hoc nimirum divina potestas & dispensatio, ut in die adventûs ipsius tot signa coruscantia indicio essent eum-

cumdem locum ad hoc fuisse coelitus electum, ut tanti Confessoris corpore illustraretur.

R. Inveni David.

Lectio V.

Quod cum innumeris undique stipatum turbis Urbi appropinquare coepisset, Clerus omnis cum universis Ecclesiastici cultus ornamentis processit ei obviam sequente populo, qui vel de longinquo venerat, vel qui ex eodem Oppido & vicinis locis illuc ad audienda Missarum solennia in tantâ festivitate fuerat congregatus. Cumque sibi non parvo ab Oppido intervallo uterque populus sequentium videlicet venerabile corpus, atque excipientium obviasset, hi qui occurrerunt, ter solo prostrati summâ illud cum veneratione susceperunt. Cumque Clerus in Hymnis & Confessionibus Deum benediceret, & spiritualium

carminum melodiam sanctorum laudi concineret congruam, populus verò Kyrie eleyton ingeminaret, cum ineffabili jubilo erectis ad Deum mentibus singulorum nihil ejus laude dulcius videbatur; ita ut in hujus vitæ exilio similitudinem quandam beatitudinis, quæ in Patriâ speratur, prægustasse viderentur.

℞. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Tali quoque magno honore sacratissimum corpus in Ecclesiâ Paderbornensi delatum; & in illo, quo hæctenus requiescit, collocatum est loco, ubi magnis postmodum miraculis effulsit, variaque sanitatum dona præstitit, sunt autem tam magna & sacratissima pignora in dictâ Ecclesiâ præcipuè, non immeritò dignis laudibus & honoribus extollenda. Nam in ejus Translatione bonæ memoriæ Aldricus, Ce-

noma.



nomanicæ urbis Antistes ad se vocatis nuntiis sive missis, tunc Paderbornensis Episcopi Baduradi, pretiosissima pignora coram omni Clero & populo commendavit, sub obtestatione gravissimâ: ut cum digno semper honore tractarent; nec eis unquam omnis reverentia cultûs Ecclesiastici à quolibet Episcopo Paderbornensi & Clero suo quolibet tempore subtraheretur. Dehinc per eundem Aldricum inter utriusque Ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornensis, congregationes firmata est fraternitas perpetuæ charitatis.

R. Iste est, qui ante Deum.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Homo peregrè. de com. Conf. Pont.

Missæ. Statuit. Oratio: Deus, qui populo. ut suprâ.



Die XV. Junii.

SS. VITI ET SOCIORUM

MARTYRUM,

Duplex.

*Omnia de communi plurimorum M.
prater sequentia.*

Oratio.

Da Ecclesiæ tuæ, *ut in Breviario.*

Lectio I. Noct. de Scriptura.

IN II. NOCTURNO,

Lectio IV.

Vitus admodum puer, *ut in Breviario.*

Re. Sancti tui.

Lectio V.

Quos ubi, *ut ibidem.*

Re. Verbera Carnificum.

Lectio VI.

Quotiescumque fratres, *de com-
muni Mm.*

Re. Tamquam aurum.

IN III. NOCTURNO,

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam, c. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit JESUS disci-
pulis suis: Qui vos audit, me
audit: & qui vos spernit, me spernit.
Et reliqua. Ho-



Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 3. in Luc. 10. cap. 42. paulò ante finem.

Ut in audiendo quisque vel spernendo Evangelii prædicatore, non viles quâique personas, sed Dominum Salvatorem, imò ipsum Patrem spernere se vel audire disceret, ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Quia procul dubio in discipulo magister auditur, & in Filio Pater honoratur. Potest & ita intelligi: qui non facit misericordiam uni de fratribus meis minimis, nec mihi facit; quia & ipse pro his formam servi, & pauperis habitum suscepi.

R. Propter testamentum Domini, & leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. V. Ecce quàm bonum

& quàm jucundum habitare fratres
in unum. Quia.

Lectio VIII.

Reversi sunt autem septuaginta
duo cum gaudio, dicentes: Do-
mine, etiam dæmonia subjiciuntur
nobis in nomine tuo. Benè quidem
confessi sunt, deferentes honorem
nomini Christi; sed quia infirmâ ad-
huc fide gaudebant in virtutibus,
vide quid audiunt. Et ait illis: Vi-
debam satanam sicut fulgur de cælo
cadentem. Non modò video, sed
priùs videbam, quando corruit.
Quòd autem ait, Sicut fulgur, vel
præcipitem de supernis ad ima lapsum
significabat; vel quia dejectus, ad-
huc transfigurat se in Angelum lucis.

R. Sancti mei, qui in carne posi-
ti, certamen habuistis: * Mercedem
laboris ego reddam vobis. *Ÿ.* Ve-
nite benedicti Patris mei, percipite
regnum. Mercedem. Gloria Patri.
Mercedem.

Lectio

*Lectio IX.*

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones. Hoc est, omne genus immundorum spirituum de obsessis corporibus ejiciendi. Quamvis & ad litteram rectissimè possit accipi: siquidem & Paulus à viperâ inuasus, nihil adversi patitur. Hoc sanè inter serpentes, qui dente: & scorpiones, qui caudâ nocent, distare arbitror: quòd serpentes apertè lævientes, scorpiones clanculò insidiantes, vel homines, vel dæmones significant. Serpentes, qui inchoandis virtutibus venena pravæ persuasionis objiciunt: scorpiones, qui consummatas virtutes ad finem vitiare contendunt. Verumtamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus ejicere, sicut & virtutes alias facere, interdum non est ejus meriti, qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit. Te Deum.

Die

Die XXII. Junii.

X. MILLIUM MARTYRUM,

Duplex.

*Omnia de communi plur. Martyr.
præter propria.*

Oratio.

Deus, qui ad imitandum sanctæ
passionis tuæ exemplum decem
mille Martyres crucis patibulum subi-
re fecisti: concede propitius, ut qui
eorum passionem veneramur in terris,
passionis tuæ remedia consequamur
in coelis. qui vivis & regnas cum Deo.

Lectioes I. Nocturni de Scripturâ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sancti decem mille Martyres mira-
biliter à Deo magistris Angelis
ad fidem sunt vocati: Et cùm spre-
tis Idolis Jesum Christum verum Dei
Filium adorassent, novem eorum
millia de centum millibus hostium
gloriosam victoriam reportarunt. In-
de Angelo duce in montem Ararath
seces-

secesserunt, ab eo plenius de fidei
præceptis instituti, atque ad ambi-
endam martyrii coronam instructi
& animati sunt.

R. Sancti tui.

Lectio V.

Imperatorum jussu quæsit, atque
in jam dicto monte tandem reper-
ti, publicâ Christianæ fidei profes-
sione, odium sibi & vitæ periculum
conciliarunt. Cùmque nec blandi-
tiis, nec minis à sancto proposito ad
idolorum cultum trahi possent, à
furenti gentiliū multitudinē lapi-
dibus quidem impetuntur, sed in
funditorum capita reversis.

R. Verbera carnificum.

Lectio VI.

Flagellis deinde cùm cæderentur,
tortores ariditate manuum divi-
nitùs superveniente facinus luerunt.
Quibus visis miraculis, Theodorus
miles accessit cum cohorte milleno-
rum,

rum, ac decem adeò millium numerum complevit; Qui omnes tum spinis coronati, tum acti in crucem, in monte Ararath necati sunt, & voce de cœlo delapsâ ad æternæ vitæ præmia vocati, quorum corpora ibidem ab Angelis sepulta fuerunt.

R. Tamquam aurum.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evangelium. Cum audieritis prælia, ut in comm. plur. Mart.

Nona Lect. (ex 2. una) & com. S. Paulini Ep. Conf. in Laud. & Missa. Intret.

Die II. Julii.

VISITATIO B. M. V.

Duplex Majus celebr. in Diœces. Paderborn, Dominica sequenti.

Die IV. Julii.

S. UDALRICI EPISCOPI

CONFESSORIS,

Dupl. x

Omnia de communi Confessoris Pontificis præter sequentia.

Ora-

*Oratio.*

Deus, qui nos annuâ Beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis solemnitate lætificas: concede propitius; ut ejus suffragantibus meritis ab imminentibus periculis liberemur, & æternis gaudiis perfruamur. Per Dominum.

Lectioes I. Nocturni de Scripturâ occurr.
IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Udalricus, natione Germanus, Dilingæ Rhetiaë Provinciaë, Hubaldo, Ottonis secundi Imperatoris cognato, & Dietburgâ Burchardi Ducis Sueviaë filiâ, parentibus nobilibus, ortus, puer monachis sancti Galli, studiorum & virtutum gratiâ, educandus traditur. Ubi se religionis voto obstrinxisset, nisi revelatione divinâ, Beatæ Viberatæ virgini factâ, de se majus quid Deum providisse cognovisset. Itaque relicto monasterio, domum rediens,

com-

commendatur Adalberoni, Episcopo Augustano. Udalricus non longè post Romam, sanctorum Apostolorum limina visitaturus, profectus, à Pontifice maximo audivit, se Adalberoni mortuo in Episcopatu successurum. Sed ille quo major, eo humilior, ubi se animamque defuncti Præfulis, lachrymis Deo & sanctis Apostolis commendasset, clam secedens, honorem istum subterfugit. *ꝛ. Inveni David.*

Lectio V.

Verumtamen divina fuit & certa prædictio Pontificis. Nam Hil-
tino, Adalberonis successore, quindecim annis post, universæ quoque carnis viam ingresso, Regis Henrici, totiusque populi studio, Augustanæ præficitur Ecclesiæ. Factus igitur Episcopus, totum se contemplationi dedit & sacrae lectioni: interim nihilominus, velut pastor bo-

nus,

nus, summâ curâ ac sollicitudine
ovibus suis invigilabat. Quas, tum
sæpiùs visitando, tum quibusvis in-
gruentibus periculis confirmando,
adeò numquàm deseruit, ut eas unâ
secum, irrumpentibus aliquando
Ungaris, lupis rapacissimis, inter
ictus hostium, suis ad Deum preci-
bus, mirabiliter servarit.

Rx. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Componendis dissidiis, & inimi-
cis reconciliandis, egregiam
semper navavit operam. Pauperes
quotidiè mensæ suæ adhibebat con-
vivas. Abstinentiâ fuit admirabili;
in oratione assiduus; in quâ frequens
pernoctabat. Lecto plumeo num-
quam est usus; nec lineo vestimen-
to, sed tantùm laneo, carnem ope-
riebat. Longum esset commemo-
rare, quàm multa ædificarit templa,
& quanta per eum Deus operatus
sit

fit miracula. Atque in his piis studiis ac laboribus obiit quinto Nonas Julii, tempore Ottonis secundi Imperatoris, anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ octuagesimo tertio, Episcopatus verò quinquagesimo. *R.* Iste est.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Homo peregrè,
ut in comm. Confess. Pont.

Missæ: Statuit. de comm.

Die VIII. Julii.

**S. KILIANI COMPATRONI
ET SOCIORUM MARTYRUM.**

Duplex Majus.

Omnia de communi plur. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui sanctorum Martyrum tuorum, Kiliani sociorumque ejus, mentibus constantiam in passione aspirasti: concede propitius, ut, sicut illi, devicto persecutore,

à te

à te coronari meruerunt ; ita nos,
eorum interventione , tuâ semper
protectione defensi , ad æternæ beati-
tudinis gaudia pervenire mereamur.
Per Dominum nostrum.

*Lect. 1. Noct. Fratres debitores. de
comm. plur. Mart*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Kilianus, nobilis Scotus, in Mo-
nasterio maximam sanctitatis
laudem consecutus, in accitis sibi so-
ciis, Colomanno Presbytero & Tot-
nano Diacono, Romam profectus,
acceptâ prædicandi licentiâ, ad Gos-
bertum Franconiæ Ducem, Wirze-
burgum pervenit; ibidemque multis
ad fidem conversis, ei, ut uxorem
germani sui, Gailam nomine matri-
monio sibi copulatam, à thoro sepa-
ratam dimittere cogitaret, persua-
sit.

R. Sancti tui.

P. Æstiv.

K

Le-

*Lectio V.*

Unde hæc furore succensa, ei parare coepit insidias: quibus ille cognitis, cum sociis, orationibus & jejuniis vacare non desit. Cùm igitur martyrii diem alacriter expectarent, irruentibus, dum divinas laudes canerent, sicariis ad hoc destinatis, impiè gladio trucidati sunt; & corpora eorum postea in eodem loco sepulta, divinitus fuerunt manifestata. *R.* Verbera carnificum.

Lectio VI.

Quotiescumque. de communi plur.

Mart. R. Tamquam aurum.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Cum audieritis, ut in comm. plur. Mart. Missa. Intret.

Die X. Julii.

SS. SEPTEM FRATRUM MM.

Dup. in Diœcesi Paderb. reliqua ut in Brev. Romano.

Die XV. Julii.

S. HENRICI IMPERAT. CONF.

Duplex Majus in Diœcesi Paderbornensi.

Lectio

Lect. 1. Noct. Beatus vir. de com. reliqua ut in Brev. Romano.

Die XVI. Julii.

DIVISIO APOSTOLORUM,

Duplex Diæces.

Omnia de communi Apostolorum præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos per beatos Apostolos tuos ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: da nobis, eorum gloriam sempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectio 1.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos *Cap. 10.*

Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in eâ. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in coelum? id est, Chri-

K 2

stum

stum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. *Rz.* Ecce ego mitto vos.

Lectio II.

Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audie-

runt?

runt? Quomodo autem audient sine
 prædicante? Quomodo verò prædi-
 cabunt, nisi mittantur? sicut scri-
 ptum est: Quàm speciosi pedes evan-
 gelizantium pacem, evangelizan-
 tium bona. *R.* Tollite jugum meum.

Lectio III.

Sed non omnes obediunt Evangelio,
 Isaias enim dicit: Domine, quis
 credidit auditui nostro? Ergo fides
 ex auditu, auditus autem per verbum
 Christi. Sed dico: Numquid non
 audierunt? Et quidem in omnem ter-
 ram exivit sonus eorum, & in fines
 orbis terræ verba eorum. Sed dico:
 Numquid Israel non cognovit? Pri-
 mus Moyses dicit: Ego ad æmula-
 tionem vos adducam in non gentem:
 in gentem insipientem, in iram vos
 mittam. Isaias autem audet, & di-
 cit: Inventus sum à non quærentibus
 me: palàm apparui iis, qui me non
 interrogabant. Ad Israel autem di-

cit: Totâ die expandi manus meas
ad populum non credentem, & con-
tradicientem. *R.* Dum steteritis.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo S. Joannis Chrysoſtomi,

in Ench. SS. Duod. Apost. apud Metaph. init.

Duodecim electi sunt athletæ, &
nullus eorum mansit non coro-
natus: una enim gratia erat omni-
bus socia certaminis, & cum eis con-
currebat, & uniuscujusque victori-
am reddebat magis probatam. Sed
ô beatum & præclarum vestrum, ô
Apostoli, coetum, quod omnia facti
estis omnibus, Dei gratiâ: non arun-
dine, sed sermone, greges hominum
peritè capientes. Vos enim estis im-
mobiles columnæ rectæ fidei, petra
Ecclesiæ, Regni sceptrâ, & hujus
maximi gregis vigiles defensores,
morbi humanitatis gratuiti medici,
& nostræ ad DEUM poenitentia
susceptores misericordes. *R.*

R.

Rz. Vidi conjunctos.

Lectio V.

Cum enim essetis veluti quædam animatae incudes, dum verberaremini, eos, qui verberabant, fabricati estis ad agnitionem. Hinc Petrus Romam accipit in disciplinam, Paulus illinc mundo annuntiat Evangelium, Andreas corrigit Græciæ sapientes, Simon barbaros Deum docet, Thomas baptismate dealbat Æthiopes; Jacobi cathedram honorat Judæa, Marci thronum, quæ est ad Nilum, complectitur Alexandria: Lucas & Joannes scribunt Evangelia; Joannes, qui vel post finem adhuc tractat Theologiam, tamquam vivus curat Ephesum; Bartholomæus erudit Lycaonas ad temperantiam; Philippus, faciens miracula, servat Hierapolin. Rz. Beati estis.

Lectio VI.

Non cessant omnes omnibus ubique

que benefacere. Pulverem immortalē reliquerunt in sepulchris, nunc quidem pii cultores, paulò post autem sedentes mundi iudices. Cùm huic appropinquasset claudus, reversus est sanis & integris pedibus. Cùm in illum incidisset paralyticus, iussus est ferre grabatum. Alius vocabat mortuos, illi verò ei statim obtemperarunt. Alterius autem umbra sola fugabat morbos. Alterius invocationem exhorrebant dæmones, & eorum sudaria distillabant medicinam; erant enim discipuli illius, cuius fimbria furtim surrepta, contactu eius quæ sanguinis laborabat profluvio, exsiccavit rubrum mare sanguinis. *℞.* Isti sunt triumphatores.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum. c. 16.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum uni-

universum, prædicate Evangelium
omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 29. in Evangelium post init.

Potest omnis creaturæ nomine
omnis natio Gentium designari.
Ante etenim dictum fuerat, in viam
Gentium ne abieritis; nunc autem
dicitur. Prædicate omni creaturæ;
ut scilicet prius à Judæa Apostolorum
repulsa prædicatio, tunc nobis in ad-
jutorium fieret, cum hanc illa ad
damnationis suæ testimonium super-
ba repulisset. Sed cum discipulos ad
prædicandum Veritas mittit, quid
aliud in mundo facit, nisi grana se-
minis spargit? Et pauca grana mit-
tit in semine, ut multarum messium
fruges recipiat ex nostrâ fide.

R. Isti sunt qui viventes,

Leclio VIII.

Neque etenim in universo mundo
tanta fidelium messis exurgeret,
si

si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana prædicantium non venissent. Sequitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *R.* Isti sunt viri sancti.

LECTIO IX.

Signa autem eos, qui credituri sunt, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Numquid nam fratres
mei

mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut etenim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos, cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terrâ jam coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.

Te Deum laudamus,

Missæ ut in Festo SS. Simonis & Judæ,
die 28. Octob. omissis nominibus,

Evangelium ex die 8. Augusti.

Credo. *Præf. Apost.*

Die XVIII. Julii.

S CAMILLI DE LELLIS CONF.

Semiduplex

Omnia de comm. Conf. non Pont. exceptis iis, quæ sequuntur.

In Hymn. ad Vesp. & Mat. Iste Confessor, dicitur.

Ÿ.

Ÿ. Meruit supremos,

Oratio.

Deus, qui Sanctum Camillum, ad animarum in extremo agone luctantium subsidium, singulari charitatis prærogativâ decorasti; ejus, quæsumus, meritis, Spiritum nobis tuæ dilectionis infunde; ut in horâ exitus nostri hostem vincere, & ad cœlestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus &c.

Posteâ fit comm. SS. Symphorosæ & Filiorum Mm. ut in Breviario.

IN I. NOCTURNO.

Lectioes de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Camillus Bucclanici Theatinæ Diœcesis Oppido ex nobili Lelliorum familiâ natus est, Matre sexagenariâ, cui gravidæ visum est per quie-



quietem, puerulum Crucis signo in pectore munitum, & agmini puero- rum idem signum gestantium præ- euntem, se peperisse. Adolescens rem militarem secutus, sæculi vitiis aliquamdiu indulfit; donec vigesi- mum quintum agens ætatis annum, tanto supernæ gratiæ lumine, Divi- næque offensiæ dolore correptus fuit, ut uberrimo lacrymarum imbri illicò perfusus, antea actæ vitæ sordes inde- finenter abstergere, novumque in- duere hominem, firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit, Purifi- cationis Beatissimæ Virginis festo die, ad Fratres Minores, quos Capuccinos vocant, convolañs, ut eorum nu- mero adscriberetur, summis præci- bus exoravit. Voti compos semel, atque iterum factus est; sed foedo ul- cere, quo aliquando laboraverat, in ejus tibia iteratò recrudescente, Di-
vinæ

vinæ Providentiæ majora de eo dispo-
 nentis consilio, humiliter se subjecit,
 sui que victor, illius Religionis bis
 expetitur, & susceptum habitum
 bis dimisit. *R. Honestum &c.*

Lectio V.

Romam profectus, in Nosocomi-
 um, quod Insanabilium dici-
 tur, receptus est, cujus etiam admini-
 strationem, ob perspectas ejus virtu-
 tes sibi demandatam, summâ inte-
 gritate, ac sollicitudine verè paternâ
 peregit. Omnium ægrorum servum
 se reputans, eorum sternere lectulos,
 sordes tergere, ulceribus mederi,
 agonique extremo piis precibus, &
 cohortationibus opem ferre, solemne
 habuit; quibus in muneribus præ-
 clara præbuit admirabilis patientiæ,
 invictæ fortitudinis, & heroicæ cha-
 ritatis exempla. Verùm, cum ani-
 marum in extremis periclitantium,
 quod unice intendebat, levamini sub-
 sidium

fidium litterarum plurimum conferre
 intelligeret, triginta duos annos na-
 tus, in primis grammaticæ elementis
 tyrocinium inter pueros iterum subi-
 re non erubuit. Sacerdotio postea
 ritè initiatus, nonnullis sibi adjunctis
 fociis, prima jecit Congregationis
 Clericorum Regularium Infirmis Mi-
 nistrantium fundamenta, irrito co-
 natu obnitente humani generis hoste:
 Nam Camillus coelesti voce è Christi
 crucifixi, manus etiam de ligno avul-
 sas admirando prodigio protenden-
 tis, simulacro, emissâ, mirabiliter
 confirmatus, Ordinem suum à Sede
 Apostolicâ approbari obtinuit, So-
 dalibus quarto obstrictis maximè ar-
 duo voto, Infirmis, quos etiam pe-
 stis infecerit, ministrandi. Quod
 Institutum, quàm foret Deo acce-
 ptum, & animarum saluti proficu-
 um, Sanctus Philippus Neri, qui
 Ca-

Camillo à sacris confessionibus erat, comprobavit, dum ejus alumnis decedentium agoni opem ferentibus, Angelos suggerentes verba, sæpiùs se vidisse testatus est.

Rz. Amavit eum &c.

Lectio VI.

Artioribus hisce vinculis, ægro- tantium ministerio mancipatus, mirum est, quâ alacritate, nullis fractus laboribus, nullis deterritus vitæ periculis, diu, noctuque, ad supremum usque spiritum, eorum commodis vigilaverit. Omnibus omnia factus, vilissima quæque officia demississimo obsequio, flexisque plerumque genibus, veluti Christum ipsum cerneret in infirmis, hilari, promptoque animo arripiebat: utque omnium indigentis præsto esset, Generalem Ordinis Præfecturam, cœlique delicias, quibus in contemplatione defixus affluebat, spontè dimisit,

misit. Paternus verò illius erga mi-
 seros amor tum maximè effulsit, cum
 & Urbs contagioso morbo primùm,
 deinde extremâ annonæ laboraret in-
 opiâ, & Nolæ in Campaniâ dira pe-
 stis grassaretur. Tantâ denique in
 Deum, & proximum charitate exar-
 sit, ut Angelus nuncupari, & An-
 gelorum opem in vario itinerum dis-
 crimine experiri promereretur. Pro-
 phetiæ dono, & gratiâ sanitatum
 præditus, arcana quoque cordium
 inspexit; ejusque precibus, nunc ci-
 baria multiplicata sunt, nunc aqua in
 vinum conversa. Tandem vigiliis,
 jejuniis, & assiduis attritus laboribus,
 cum pelle tantùm, & ossibus constare
 videretur, quinque molestis æquè ac
 diutinis morbis, quos misericordias
 Domini appellabat, fortiter toleratis,
 Sacramentis munitus, Romæ, inter
 suavissima Jesu & Mariæ nomina, ad
 P. Æstiv. L ca

ea verba: Mitis, atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat: quâ prædixerat horâ, obdormivit in Domino, pridie idus Julii, anno salutis millesimo sexcentesimo decimo quarto, ætatis suæ sexagesimo quinto: Quem pluribus illustrem miraculis, Benedictus decimus quartus solemni ritu Sanctorum fastis adscripsit.

R. Iste homo &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem,

Lectio VII.

Cap. 15. b.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 83. in Joan. Evang.

Quid putamus, Fratres mei; num quidnam solum ejus de istâ dilectione mandatum est, quâ diligimus invicem? Nonne est & aliud majus, ut diligamus Deum? Aut verò de solâ
Deus

Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non requiramus? Tria certè commendat Apostolus, dicens: Manent autem Fides, Spes, Charitatis, tria hæc; major autem horum Charitas. Et si in Charitate, hoc est in dilectione, concluduntur duo illa præcepta, major tamen dicta est esse, non sola. De Fide igitur nobis, quàm multa mandata sunt, quàm multa de Spe: Quis potest cuncta colligere, quis enumerando sufficere? Sed intueamur, quod ait idem Apostolus: Plenitudo legis Charitas. *R.* Iste est &c.

lectio VIII.

Ubi ergo Charitas est, quid est, quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est, quod possit prodesse? Dæmon credit; nec diligit; nemo diligit, qui non credit. Frustrà quidem; sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit: nemo autem potest desperare, qui diligit. Itaque, ubi di-

lectio est, ibi necessariò Fides, & Spes:
 & ubi dilectio proximi, ibi necessariò
 etiam dilectio Dei. Qui enim non
 diligit Deum, quomodo diligit pro-
 ximum, tamquam se ipsum? Quan-
 doquidem non diligit & se ipsum; est
 quippe impius, & iniquus: qui au-
 tem diligit iniquitatem, non planè
 diligit, sed odit animam suam.

R. Sint lumbi &c.

Lect. IX. & comm. in Laud. de simpl.

Te Deum.

Quando autem transfertur. Lectio IX.

Hoc ergo præceptum Domini te-
 neamus, ut nos invicem diliga-
 mus; & quidquid aliud præcepit, fa-
 ciemus: quoniam quidquid est aliud,
 hîc habemus. Discernitur quippe
 ista dilectio ab illâ dilectione, quâ se
 invicem diligunt homines: nam ut
 discerneretur, adjunctum est: Sicut
 dilexi vos. Ut quid enim diligit nos
 Christus, nisi ut regnare possimus
 cum

cum Christo? Ad hoc ergo, & nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus à cæteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se, propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt; ergo ut se diligant, Deum diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus: Pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus. Te Deum &c.

DOMINICA

Ante Festum

S. MARIE MAGDALENÆ

DEDICATIO ECCLESIAE CATHEDRALIS

Dup. I. Class. cum oct. infrâ Civit. extra Civit. sine oct.

Dominica ante Festum S. Praxedis est Dedicatio Ecclesie Collegiate Bystorffensis.

Die XX. Julii.

S. MARGARITÆ VIRG. MART.

Duplex Dioces.

Omnia de comm. Virginis præter sequentia.

Oratio. Indulgentiam nobis, ut
in Brev.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

L 3

IN

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Margarita virgo, Antiochiæ in Pisi-
 diâ nobilibus parentibus nata,
 nutricis operâ, cui eam, matre or-
 batam, pater educandam tradiderat,
 decimum quintum annum agens,
 Christianæ fidei præceptis est institu-
 ta, & baptizata. Quod ubi pater
 invitus cognovit, eam Olybrio Præ-
 fecto, qui Christi fideles persequeba-
 tur, & ex Asiâ tunc venerat Antio-
 chiam, Christianæ fidei nomine de-
 fert. Is autem, simul ac eam vidit,
 incredibili virginis amore captus, se
 felicem fore duxit, si vel precibus vel
 minis posset eam, à Christianis sacris
 ad deorum cultum reductam, sibi
 matrimonio copulare.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Sed cum frustra blanditiis virginem
 oppugnasset, ac se contemni ab
 eâ

eâ cerneret, tamdiu virgis cædi iussit, donec corpore dilaniato, terram subiectam sanguis irrigaret. Quo cruciatu virgo nihil territa, liberâ voce Præfecto copiam fecit, omnia tormenta, quæ diabolus suggereret, in se convertendi. Quamobrem illo vehementiùs irato, in equuleo suspensam, ac uncis ferreis laceratam, in carcerem detrusit: ubi post fugatum signo crucis diabolum, semel draconis, iterum Æthiopis exuviis horrendum, cælesti viso recreata, totam noctem divinis intenta laudibus traduxit. *R.* Dilexisti iustitiam.

Lectio VI.

Postridiè Præfectus eam, in proposito constantem, flammis & aquâ cruciat: nam primò faces arden-tes pectori & lateribus admovet: deinde in vas aquæ, suffocandam, præcipitem agit. Quæ indè surgit incolumis, dum ingenti fragore terra qual-

sata contremuit & vox sponsi, eam ad æternæ vitæ gaudia vocantis, à toto circumstante populo cælitùs audita est. Quo miraculo percussa Gentilium multa millia Christo crediderunt; cùmque Præfectus in eos exercitum immitteret, in Jesu Christi fidei professione, proprio sanguine baptizati, martyrii palmam acceperunt. Margarita autem extra urbem, abscisso capite, virginitatis gloriam honore martyrii cumulavit, decimo tertio Kalendas Augusti, anno trecentesimo. R. Atterentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Simile est Regnum cœlorum thelauro, de comm. non Virg.

R. R. De communi Virg.

Die XXIII, Julii.

S. LIBORII EPISC. CONF. PATR.

Dup. 1. Class. cum oct. in & extra Civit.

Omnia de communi Confess. Pontif. præter propria.

Ora-

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Confessione Sancti nominis tui solidasti: præsta quæsumus; ut quæ Sancti LIBORII Confessoris tui atque Pontificis annua recolit solemnia, ejus apud te suffragiis ab omni mereatur adversitate liberari. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO,

Lectioes de communi Confessoris Pontificis

Fidelis Sermo, *ut in Breviario.*

IN II. NOCTURNO,

Lectio IV.

Beatus Liborius natione gallus, ab ineunte ætate honestis moribus præditus, & liberalibus instructus disciplinis, futuræ sanctitatis specimen dedit: modestiâ & humilitate fuit singulari: divino cultui valdè deditus, animi sui devotionem frequenti psalmodum modulatione testabatur. Ejus virtutibus & meritis commotus populus Cenomanensis, ipsum

in

in Episcopum consecrari petiit: ejus vocationi cum resistere non posset, onus subire cogitur. In eâ dignitate constitutus, omnia Episcopi munia sedulo obivit: sed præcipuè enituit in pauperum cura, quorum angustiis & necessitatibus sublevandis totus insistebat. *R.* Inveni David.

Lectio V.

Zelo divini cultûs non mediocriter accensus, decem & septem Ecclesias in suâ Diœcesi, tum propriis sumptibus, tum quorundam nobilium fultus auxilio ædificari curavit: quarum census ita destinavit, ut eorum pars ad majoris seu Cathedralis Ecclesiæ luminaria deserviret. Vigilantem & indefessum in suo Episcopali munere animum Deus multis decoravit miraculis: ipsius enim meritis cæci quam plurimi visum recepere, & dæmones ab obsessis corporibus recedere coacti sunt.

R.



R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Beato Martino Turonensium Archiepiscopo fuit valde familiaris & ejus præsentia, antequam diem extremum clauderet, frui meruit. Nam Angelicâ revelatione monitus Martinus ad Liborium accessit, quem lecto humili strato cilicio recumbentem, & ad futuram vitam suspirantem invenit. Eumque suâ benedictione consolatus, postea mortuum honorificè sepeliri curavit in Ecclesiâ Apostolorum Petri & Pauli, quam beatus Julianus olim construxerat: ubi sancti Liborii corpus requievit, donec postea in Saxoniam, Deo ita disponente Reliquiæ ejus translatae sunt.

R. Iste est.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evang. Homo peregrè.
Cum reliquis de communi.*

Missæ: Statuit. Oratio ut supra. Credo. Secreta & Postcomm. prop.

Die XXVII. Julii, de 5. Die inf. oct.

SANCTI LIBORII.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo præter seq.

Lectiones I. Nocturni de Scripturâ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV. Ex Octavario Romano.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Serm. de Deposit. S. Eusebii.

Depositionem sancti Liborii hodie celebramus. Quid est depositio? Non illa utique, quæ sepeliendis in terra membrorum reliquiis Clericorum manibus procuratur: sed illa, qua homo vinculis carnalibus absolutus liber iturus ad cælum, terrenum corpus exponit. Ipsa planè est depositio, in qua concupiscere abjicimus, cessamus delinquere, peccare desinimus; & totum quidquid salutis est grave, quasi abjecta sarcina oneris, exponimus. Nam ideò hæc dies pro celebritate maxima procuratur, quia verè est summa festivitas, mortuum est vitium, soli vigere justitiæ,

Ry. Inveni David.

Lectio V.

Unde & de positionis ipsa dies natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, libertati nascimur Salvatoris. Sed videamus, sanctus Liborius cum qua gloria ad hanc diem de positionis advenerit. Volare non potest, nisi quod purum, leve atque subtile est, cuius nec sinceritas intemperantiâ retardatur, nec alacritas nec velocitas mole gravatur. Gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum, quàm delictorum. Unde puto etiam in ipsis avibus ideò velociùs columbam penè præ omnibus volitare, quod alacritatem & innocentiam comitetur.

Ry. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Denique sanctus David cum puritate mentis volare concupisceret, non alterius animantis nisi columbæ

lumbæ optavit alas, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Intelligebat enim, quod altiora facilius penetrentur simplicitate mentis, quàm levitate pennarum. Volavit ergo hac die sanctus Liborius. Æstimemus jam ejus innocentiam de volatu, & puritatem ejus de ipsa elatione judicemus: tamquam columba enim in domo Dei degens, assumpsit spirituales pennas, & requievit in monte.

Rx. Iste est.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum. c. 25.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi. *Can. 27.*

Divisio pecuniæ inæqualis est, sed non ad dividendum referenda di-

ver

veritas est. Ait enim, unumquemque secundum virtutem suam accepisse. Igitur unusquisque secundum fidei suæ mensuram, talentum, id est Evangelii prædicationem, à prædicante suscipit. Sed servus ille, qui quinque talenta accepit, populus ex lege credentium est; ex qua profectus, meritum ipsius rectè probèque perfunctus, Evangelicæ fidei operatione duplicavit. In ratione autem ponenda iudicii examen est, quo cœlestis verbi usus, & redditus dispensati talenti postulatur.

R. Amavit eum Dominus.

Lectio VIII.

Igitur cui erant quinque commissa, Domino reverso de quinque decem obtulit: talis scilicet in fide repertus, qualis in lege: qui decem verborum quinque libris Moyse præceptorum obedientiam per gratiam Evangelicæ justificationis expleverit. Igitur ju-
berus

betur in gaudium Domini introire, id est, in honorem gloriæ Christi recipitur. Ille verò servus, cui duo talenta commissa sunt, Gentium populus est, fide atque confessione & Filii justificatus & Patris, Dominum nostrum Jesum Christum Deum atque hominem & spiritu & carne confessus: nam & corde fides, & ore confessio est. Hæc ergo huic sunt duo talenta commissa. *R.* Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Sed ut prior ille omne Sacramentum in quinque talentis, id est, in lege cognoverat, idque ipsum fide Evangelii duplicaverat: ita iste incremento duorum talentorum, atque operatione promeruit, ratione ac redditu dissimili. Par tamen à Domino munus amborum est, ut gentium fidem exæquatam credentium ex lege scientiæ nosceremus: nam cum laudatione eadem jubetur in gaudium
Domi-

Domini introire. Est autem duplicatio sumptæ pecuniæ, operationem fidei addidisse; & quæ opinione crediderant, rebus factisque gessisse.

Te Deum laudamus.

Die XXX. Julii.

OCTAVA S. LIBORII,

Duplex.

Omnia ut in festo præter sequentia.

Lectioes I. Nocturni, de Scriptura.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo S. Gregorii Papæ, *part. 2. Pastoral. c. 1.*

Tantum debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicitè studeat, quantâ tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ

P. Æstiv.

M

cun-



cunctis contemplatione suspensus,
benè agentibus per humilitatem so-
cius, contra delinquentium vitia per
zelum justitiæ erectus, internorum
curam in exteriorum occupatione
non minuens, exteriorum provi-
dentiam in internorum sollicitudine
non relinquens. R̄. Inveni David.

Lectio V.

Part. 2. Pastoralis c. 9. & 10.

Considerandum quoque est, quia
cum curam populi electus P. sul-
suscipit, quasi ad ægrum medicus ac-
cedit. Si ergo adhuc in ejus opere
passiones vivunt, quâ præsumptione
percussum mederi properat, qui in
facie vulnus portat? ille modis omni-
bus debet ad exemplum benè viven-
di pertrahi, qui cunctis carnis passio-
nibus moriens jam spiritualiter vivit,
qui prospera mundi postponit, qui
nulla adversa pertimescit, qui sola in-
terna desiderat; cujus intentioni benè
con-



congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valdè per contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. *Rz. Posui adjutorium.*

Lectio VI.

Ibid. Cap. 8.

Unde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione diffinitur, cum dicitur: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans in occultâ meditatione cogitationis cæterorum subiectione pascitur, laude propriâ lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantiam exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi de-

strui lucra debuerant. *℞.* Iste est.
IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum c. 25.
Lectio VII.

In illo tempore: Dixit IESUS disci-
pulis suis parabolam hanc: Homo
quidem peregrè proficiscens, voca-
vit servos suos, & tradidit illis bona
sua. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. de vocat. Gent. cap. 2. post medietatem.

Datur unicuique sinè merito, unde
tendat ad meritum; & datur an-
te ullum laborem, unde quisque mer-
cedem accipiat secundum suum labo-
rem. Quod ita esse, Evangelicæ ve-
ritatis testimonio agnoscitur, ubi per
comparationem dicitur, quòd homo
peregrè proficiscens vocavit servos
suos, & tradidit illis substantiam su-
am, & uni dedit quinque talenta,
alii autem duo, alii verò unum, uni-
cuique secundum propriam & natu-
ralem possibilitatem, non autem se-
cun-

cundum proprium meritum: quia
aliud est posse operari, aliud operari:
& aliud est, posse habere charitatem;
aliud, habere charitatem.

Rz. Amavit eum Dominus.

Lectio VIII.

Non itaque omnis reparabilis repa-
ratur, nec omnis sanabilis sana-
tus est: quia reparabilem & sanabi-
lem esse, de natura est; reparatum
autem & sanatum esse, de gratia est.
Denique isti, quibus secundum mo-
dulum capacitatis suæ, quem in eis
distributor substantiæ prævidebat,
dispar creditus est numerus talento-
rum; non meriti remunerationem,
sed operis accepere materiam.

Rz. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

De SS. Abdon & Sennen, *ut in Breu.*
Te Deum laudamus.

M 3

Die

Die III. Augusti.

INVENTIO

S. STEPHANI PROTOMART.

Dup. in Diocesi Paderb. reliqua ut in Brev. Romano.

Die XIII. Augusti.

SS. HIPPOLYTI & SOC. MART.

Duplex.

Omnia de communi plur. Mart. prat. seq.

Oratio.

Da quæsumus omnipotens Deus;
ut beatorum Martyrum tuorum,
Hippolyti ac Sociorum ejus, vene-
randa solemnitas & devotionem no-
bis augeat & salutem. Per Dominum.

*Deinde fit. comm. oct. S. Laur. & S.
Cassiani Mart. Antiph. Iste Sanctus.
y. Gloriâ & honore.*

Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens De-
us; ut qui beati Cassiani Martyris
tui natalitia colimus; intercessione
ejus in tui nominis amore robore-
mur. Per Dominum.

Lectiones I. Noct. de Scriptura.

IN



IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Hippolytus, in persecutione Valeriani, cum sanctus Laurentius teneretur in vinculis, carceris praefectus; ejus praedicatione ac miraculis, eo praecipue, quod Lucilio cuidam, qui ploratu nimio in carcere fuerat obcoecatus, credenti visum antea promissum, per baptismum restituit, una cum decem & novem domesticis suis ad Christianam fidem conversus, ab ipso baptizatus est. Postquam autem Laurentii corpus prope urbem via Tiburtina sepelisset, domum reversus, universos servos suos, sumpto cum illis sanctissimo Eucharistiae Sacramento, libertate donavit.

R. Sancti tui Domine.

Lectio V.

Interea milites eum ad Valerianum Imperatorem adduxerunt. A quo professione religionis interroga-

tus, liberè se Christianum confessus est. Quamobrem habitu exuitur Christiano; & os ejus lapidibus contunditur; & , nisi Christum ejuret, ac diis sacrificet, tormentis Laurentii jubetur excruciarì. Ille arcta supplicia deposcit; & nihil iis gratius obtingere sibi posse, respondet audacter. Unde fustibus cæditur, & pectinibus ferreis laniatur. Quibus in verberibus cùm ejus fides constantior appareret, muneribus & honorum promissis oppugnatur.

Rz. Verbera carnificum.

Lectio VI.

His frustra tentatis, Præfecto occidendus traditur: qui domum Hippolyti veniens, ut ejus facultates publicaret, totam familiam Christianam esse cognoscit; atque iis à Christianâ fide frustra deterritis, primùm plumbatis cæsâ Concordiâ, Hippolyti nutrice, quæ cæteros confirma-
bat,



bat, reliquos decem & novem extra portam Tiburtinam occidi jubet. Hippolytus, indomitis equis raptus per loca carduis & tribulis conficta, lacerato corpore spiritum Deo reddidit, unâque cum reliquis à Justino Presbytero ad agrum Veranum sepultus est, Idibus Augusti. Corpus ejus deinde in Germaniam allatum, primò in Gerridheimensi virginum Monasterio juxta Insulam seu Werdam Cæsaris depositum fuit. Quod inde, metu gravium bellorum, unâ cum virginibus intra Coloniam transtulit Hermannus Archiepiscopus Coloniensis, & in Ursulanâ Basilicâ collocavit; ubi magnifico fidelium cultu servatur & honoratur.

℞. Tamquam aurum.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Attendite à fermento. ut in festo SS. Joannis & Pauli Mart. 26. Junii.

℞.

R. R. De comm. plur. Mart.

Pro sancto Cassiano.

Lectio IX.

Cassianus, divinis literis eruditus, & sanctitate conspicuus, Sabionam Rhetiaë urbem ad Christum prædicando convertit: inde expulsus paganorum studio; Forum Cornelii venit, ut populum, idolorum cultui deditum, ad Christianam religionem perduceret, humaniores litteras pueros docere coepit, & earum occasione, Christianâ religione imbuere. Quod ubi Præfectus urbis rescivit, illum accersitum à Christi fide verbis conatur avertere. At ubi se frustra laborare comperit, novum supplicii genus excogitavit: nam, vinctis post terga manibus, columnæ marmoreæ alligatum, puerorum, quos erudiebat, stylis ferreis configendum & interficiendum tradidit. Quorum quantò erat infirmior vis, tantò ejus
 pœna



poena martyrii gravior ac diuturnior,
palmaque illustrior.

Te Deum laudamus.

*Si fuerit Sabbatum, Lect. IX. legitur
de Homil. Vigil. Assumpt. B. Mariæ Virg.
cum ejusdem commem. ante S. Cassia-
num in Laud.*

*In Laud. fit Commem. Oct. S. Lau-
rentii & S. Cassiani Mart.*

*Missæ: Intret. Ev. Attendite. ex
Dic 26. Jun.*

OF.

OFFIC. HEBDOMADARIUM
IN HONOREM

S. LIBORII

Episcopi & Confessoris

à

Sanctissimo D. N. D.

CLEMENTE XII.

in Civitate et Diœcesi Paderbornensi

Extra

Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora,
& Vigilias, Die, festo novem lectionum non
impeditâ sub ritu semiduplici recitari concessum.

*Omnia dicuntur de communi Con-
fessoris Pontificis præter ea, quæ se-
quuntur.*

*In Hymno: Iste Confessor. mut.
3tius versus.*

*Ad Magnificat in primis vesperis
Antiphona: Sancte Libori Confessor
Christi miseris tuis subveni servis,
& iram, quam meremur, precatu
tuo averte, ne de gregis tui danno
inimicus exultet.*

Ora-

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Confessione sancti Nominis tui solidasti: præsta quæsumus; ut quæ Sancti Liborii Confessoris tui atque Pontificis recolit commemorationem, ejus apud te suffragiis ab omni mereatur adversitate liberari. Per Dominum &c.

In primo Noct. Lect. de Script. occur.

In 2. et 3. Noct. Lect. ordine inf. posito.

Ad Benedictus Antiphona: O quàm venerandus es Libori Confessor Christi, qui terrena contempsisti, & Coeli januam exultans petisti, modò victor fulges in virtute coelesti; ideò te supplices exoramus, ut intercedas pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

In 2. Vesp. ad Magnif. Antiph. Sancte Libori Confessor Domini pretiose, adesto nostris precibus pius, ac propitius.

Pro



Pro Mensibus Majo, Jun. Jul. August. & Septemb,

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysofostomi.

unde supra.

Lectio IV,

Et homines quidem, qui populis præsumunt, si quando de rebus fortuitis consultaturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: nos verò, qui pro ipso cælo certamen habemus, ipso quoque die dormimus. Quis, quæso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus, tanquam ad nundinas currendum erat? Hæc autem non solum pastores, sed & oves audiant, ut alacriores faciant pastores, aliud quidem nihil, verum omnem obedientiam, animumque cui persuaderi queat, exhibentes.

R.

R. Inveni David.

Lectio V.

Ita Paulus præcepit dicens, obedite ducibus vestris, & subditi estote: nam ipsi vigilant; pro animabus vestris, tanquam rationem daturi. Quando verò dicit, Nam ipsi vigilant; innumeros labores, curas & pericula complectitur. Bonus enim Pastor, & talis qualem Christus vult, innumeris comparatur martyribus. Propter Christum quippe martyr semel quidem est mortuus, hic verò millies propter gregem, si quidem talis sit pastor, qualem esse oportet: talis enim pastor singulis diebus mori potest. Propterea & vos, cognito isto labore, & precibus, & diligentia, & animi alacritate & dilectione nos juvate, ut & nos vestra, & vos vicissim nostra gloriatio sitis.

R. Posui adjutorium.

Lectio

Lectio VI.

Nam ideo Christus istud Apostolorum Summati, & plus ipsum quàm reliqui diligenti, commendans, & injungens, primùm rogabat an ab ipso diligeretur: ut discas, quòd istud sit ante omnia reliqua dilectionis in Christum positum signum: Strenuo siquidem animo hic opus est. Hæc verò mihi de optimis pastoribus dicuntur, non de me ipso, & mei similibus: sed si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis N. Istos itaque imitemur & superiores, & subditi: licet enim & subdito pro parte pastorem agere, nempe domûs suæ, amicorum, domesticorum, uxoris, liberorum.

R. Iste est, qui ante Deum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit JESUS discipuli

pulis suis parabolam hanc : Homo peregrè proficiscens , vocavit servos suos , & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4, in Matth. Cap. 25

Homo iste paterfamilias haud dubium quin Christus sit : qui ad Patrem post resurrectionem victor ascendens , vocatis Apostolis , doctrinam Evangelicam tradidit ; non pro largitate & parcitate alteri plus & alteri minus tribuens , sed pro accipientium viribus : quomodo & Apostolus eos , qui solidum cibum capere non poterant , lacte potasse se dicit. Denique & illum , qui de quinque talentis decem fecerat , & qui de duobus quatuor , simili recepit gaudio : non considerans lucri magnitudinem , sed studii voluntatem. *R.* Amavit eum &c.

P. Æstiv.

N

Lectio

Lectio VIII.

In quinque, & duobus, & uno talento, vel diversas gratias intelligamus, quæ unicuique traditæ sunt: vel in primo, omnes sensus examinatos; in secundo, intelligentiam & opera; in tertio rationem, quâ homines à bestiis separamur. Acceptis ille terrenis sensibus, cælestium sibi notitiam duplicavit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex visibilibus invisibilia, ex brevibus æterna. Et iste pro viribus quidquid in lege didicerat, in Evangelio duplicavit: sive scientiam & opera præsentis vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit.

R. Sint lumbi.

Lectio IX.

Grande tempus est inter ascensionem Salvatoris, & secundum ejus adventum. Si autem Apostoli red-

reddituri sunt rationem, & sub metu iudicis surrecturi, quid eos oportet facere? Et notandum, quod omnia quæ in præsentî habemus, licet magna videantur & plurima, tamen comparatione futurorum, parva & pauca sunt. Intra, inquit, in gaudium Domini tui; & suscipe, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Quid autem potest majus dari fidei servo, quam esse cum Domino, & videre gaudium Domini sui?

Pro Mensibus Julio & Augusto.

Lectio IV.

Sermo S. Maximi Episcopi: Ad Sancti, & Beatissimi Patris nostri &c. *Ut in Breviario de communi Conf. Pontif. imo loco.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis

pulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysofomi.

In Gen. c. 18. Hom. 41. circa initium

Nobis non satis est, quod extra damnnum sumus, & quod nostrum est implemus: sed volumus, ut & vos ex dinumeratis pecuniis multum negotiemini, ut ne obnoxii fiatis supplicio, quod luit ille, qui talentum recondidit, & dominicam pecuniam non solum non multiplicavit, sed & ipsam in terra defodit. Tales enim sunt, qui sermones audiunt: talentum enim hoc vocat, & pecuniam: neque operam dant, ut fructum afferant.

R. Amavit eum.

Lectio VIII.

Sed fortè dixerit quispiam, parabolam istam talentorum de Doctori-



ctoribus esse dictam: nec ego hoc nego. Verum si diligenter eam intueamini, scietis, quod doctores quidem debent dinumerare pecuniam: sed vos non solum eam servare, sed & similiter negotiari debetis. Et quaere ille, qui duo attulit talenta, eundem consequitur honorem, quem ille, qui talenta quinque attulerat? Merito: augmentationem enim & imminutionem, non vel hujus diligentia, vel illius negligentia fecit, sed concreditorum quantitas. Nam quod ad diligentiam attinet, ambo pares fuerunt, proinde & eandem dignitatem assecuti sunt. *R.* Sint lumbi.

Lectio IX.

Verum alius ille nihil tale fecerat. Sed quid? Accessit, dicens. Cognovi te, quod austerus homo sis, metens ubi non seminas, & congregans ubi non spargis: & veritus abii, & occultavi talentum in terra. *O ne-*
quitia n

quitiam servi! ô insignem ignaviam!
 Nam non solum iussa contempsit, &
 nihil negotiatus est talento sibi con-
 credito, sed & pro talento accusatio-
 nem attulit: ita enim solet malitia,
 obtenebrat rationem, & eum, qui
 semel à viâ aberravit, per abrupta
 præcipitem dat.

Pro Mense Septembri,
 IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo S. Maximi Episcopi: Beati
 Patris &c. *Ut in Breviario de commu-
 ni Conf. Pont. 2do loco.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: dixit Jesus discipu-
 lis suis parabolam hanc: Homo
 peregrè proficiscens, vocavit servos
 suos, & tradidit illis bona sua. Et
 reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Unde supra.

Hæc autem omnia de magistris di-
 cta

Etia sunt, ut talenta sibi concre-
 dita non abscondant, sed omni dili-
 gentiâ discere cupientibus apponant.
 Verùm ultrà audi, dilecte, ex indi-
 gnatione erga illum, quomodo &
 discipuli rei sunt: & non solùm illa
 repetuntur, quæ concredita, sed &
 cum lucro operatio quæritur. Quid
 igitur dicit illi Dominus? Serve ne-
 quam terribilis indignatio, & minæ
 valentes per se percellere animum. O-
 porteabat te pecuniam tuam dinume-
 rare mensariis, & ego, cum venis-
 sem, cum lucro repetissem illam. Pe-
 cuniarum dicens eloquia pretiosa:
 nummularios autem vos, qui susci-
 pitis. *R.* Amavit eum.

Lectio VIII.

Quocirca, dilecti, cùm vobis con-
 credita dinumeraverimus, vo-
 bis necessarium erit, duplicem affer-
 re laborem & vigilantiam, tum quòd
 dinumerata custodienda sunt, ut fixa

maneant; tum quòd operandum; ut & aliis communicetur, & multos in viam virtutis inducant: ut bifariam vobis lucrum accrescat, tum pro salute vestrà, tum pro aliorum utilitate. Igitur fratres vestros nolite negligere, neque solùm spectare, quæ ad vos attinent, sed unicuique cura sit, quomodo proximum suum à diaboli faucibus eripiat. *℞. Sint lumbi.*

Lectio IX.

Simili modo & nos erga fratres nostros benè affecti, magnam adhibeamus diligentiam, & obluetemur maligno illi dæmoni, ut irritos ejus faciamus conatus. Nam si singuli, qui adsint, unum lucrifacere possent, cogita quantam nobis lætitiâ Ecclesia multitudine filiorum suorum ostenderet: & quomodo diabolus confunderetur, videns in vanum & frustrâ extendi sua retia. Quòd si hoc feceritis, audietis & vos in die illo: *Serve bone & fidelis, in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

